



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Bvgenhagii Pomerani Annotationes ab ipso iam  
emissæ. In Deuteronomium**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae**

**VD16 B 9247**

Historia feriae secundae post dominicam Palmarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36133**

bant in eum, ut sermo Esiae impleretur &c. Multi tamen ex principibus crediderunt in eum, sed propter phariseos non confitebantur, ut de synagoga non ejcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei &c. Corde quidem creditur ad iustitiam, sed ore fit confessio ad salutem. Et qui erubuerit, inquit, de me coram hominibus, erubescam et ego de eo coram patre meo et angelis eius. Verum fragilitatem nostram libenter interim fert ille qui omnia fert nostra peccata dum non negamus eum.

### Historia feriæ secundæ post dominicam Palmarum.

**Mar. II.** Postera die, id est, ut nunc dicimus, bona secunda feria,  
**Matt. 21.** mane cum exiret a Bethania reuertens Hierosolymam esuriuit. Cumque uidisset a longe siccum habentem folia, uenit si quid forte inueniret in ea. Et cum uenisset ad eam, nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficiuum. Et dixit ei, Iam non amplius in æternum ex te quisquam fructum manducet, Haud dubie significans perpetuam excæcationem illorum ex quibus per oblatum Euangeliū fructum frustra quaesierat. Et audiebant discipuli eius, et ueniunt iterum Hierosolymam.

**Mar. II.** Etcum introisset in templum coepit ejcere ementes et uendentes in templo, et mensas numulariorum cathedralisque uendentium columbas euertit, et non sinebat ut quisquam transferret uas per templum, et doce-

bat, dicens eis, Nōnne scriptum est, Domus mea do-  
mus orationis uocabitur omnibus gentibus? Vos autē  
scistis eam speluncam l̄tronum. Quo audito princi-  
pes sacerdotum & scribæ quærebant quomodo eum  
perderent. Timebant enim eum, quoniam uniuersa tur-  
ba admirabatur super doctrina eius. Et cum uesterā  
iam esset egrediebatur de ciuitate.

Hæc Marcus ordine refert, & in eius historia cla-  
re uidetur ista quoq; die electos esse è templo, ut supe-  
riori. Et cui non, uel preter hanc tam claram histori-  
am, uerisimile uidetur rursum auaritiam pontificum  
mox instaurasse in templo condemnatum emporium,  
iam instantे festo, nundinationis eorum tempore,  
Quanquam non ignorem Augustinum, de concordia  
Euangelistarū, sentire Marcum descripsisse quasi al-  
tera die factum, quod in superioris diei descriptione  
oblitus fuerat, id quod in Marco nō mihi uidetur, De  
niq; tertia feria interrogant, In qua potestate haec fa-  
cis? ueriti ut opinor ne rursum iniustas merces ejiciat.

Erat autē diebus docens in templo, noctibus uero Lu. 21.  
exiens morabatur in monte qui uocatur Oliueti. Et  
omnis plebs mane ueniebat ad eum in templum ut au-  
diret illum. Ex quo liquet non totas noctes mansisse  
eum in Bethania, sed in multā noctem in monte oli-  
ueti uel docuisse discipulos, ut mox audies, uel orasse  
patrem, ut legis quando capitur à Iudeis.

diebus colligere  
diebus p̄ḡl.  
fons scripsi  
templo redimus